



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

1.667









787  
2

ENCOMIUM  
**R E G N I**  
**P O L O N I A E**

*Conscriptum*

*à*

JACOBO GADEBV SCHIO.

---

DANTISCI  
Typis, Georgi Rhetij. Anno  
CL MDCXXI.



4.731



# EMBLEMA

ALCIATI

De

Senatu boni Principis.

**E**Figies manibus truncæ ante altaria divum

Hinc resident, quarum lumine capta prior.

Signa potestatis summa sanctijs Senatus

Thebanis fuerant ista reperta viris.

Cur resident? quia mente graves decet esse quietos

Juridicos animo nec variare levi.

Cur sine sunt manibus? capiant ne Xenia, nec se

Pollicitis fleti, muneribusve finant.

Cœcus at est Princeps, quod solis auribus absq;

Affectu, constans iussa Senatus agit.

XVII - 1667 - IV

# ENCOMIUM REGNI POLONIÆ

**M**ULTA (Auditores optimi) dicta sunt à philosophis tam Græcis quam Latinis quibus Magistratus publicas & unus quisç̄ actiones suas non infeliter dirigere potest: At non minus illustres sententiae & vitæ hujus quasi canones in jure habentur civili, quo major pars orbis Europæ adhuc hodie per DEI gratiam utitur. Et ne longius abeamus, vel unam tantum Legem, quæ instituto nostro accommodata est, audiamus:

Favores sunt ampliandi; odia vero restringenda.

Egregiam vitæ humanæ Regulam! quæ non tantum mentibus virorum principum sed & omnium cujuscunq; sunt status vel gradus animis clavo trabali est infigenda: sic ut favore prosequantur omnia, quibuscunq; salvò Amore DEI & illæsa conscientia faventiam possunt exhibere: Ita namq; & ipsi reciprocos sibi favores conciliabunt, odiaq; quibus nihil est gravius, eò facilius evitabunt. Contra persuasissimum sibi habeant, qui studiosi sunt quælibet pro lubitū suo temerē in alios evibrare, ea quæ non volunt cogentur audire. Atq; hanc adeo ob causam spero veniam Memperi, quod Germanus Ego Regnum Poloniæ mihi favore & laude potius prosequendum proposuerim, quam ut nævulos quosdam sublegerim ad odium eidem conflandum. Quantam vero suscepī provinciam & Egone qui nec usu polleo, reruinq; polonicarum parum sum peritus, dignè de Polonia sum dicturus? Non diffiteor meam tenuitatem sed & nullus dubito, quin vestra quoq; benevolentia mihi favoris sui auram sit adspiratura atq; ampliatura. Dicam itaq; de Polonia Germanus Germanè id est verè & sincerè.

Vos AVDT. OPT. ut spem meam firmiter conceptam sustentare meamq; in dicendo imbecillitatem vestro favore & amore sublevare velitis, majori quantâ possum, observantiâ, rogo & oro.

Quemadmodum Hebræi qui primitus cum cœlesti sapientia lingua usi sunt purissima, rationem notationum facile & feliciter reddere possunt: Ita nationes aliorum idiomatum non sine difficultate etiæ mologiam exprimere possunt. Licet una hic Lingua aliâ sit fe-

licioꝝ uti quidem sermo Græcanicus, qui proprias fluit ex ipso son-  
te, Lingua Latina est expeditior. Hinc Cicerο: Innúmerabilia ver-  
ba sunt, quorum ratio reddi non potest, vel quia non est ut ego ar-  
bitror vel quia latet ut Stoſci. Sed, licet studium paulo sit diffici-  
lius, tamen non omnino videtur omittendum. Principium, inqui-  
unt Philosophi, in omni disputatione & re est nomen. Atqꝝ inde  
cl. I. C. Scaliger originandi diligentiam non tantum approbat sed  
& injungere videtur his verbis: Etymologia in multis tam maxi-  
me est investiganda, quam latet. Iam si & Nos inquisiverimus in  
originationem Poloniæ, & polonorum mox evidenſiſſima laudum  
vestigia apparebunt.

Principio Incolæ Regni poloniæ cum populis hujus tractus ap-  
pellantur HENETI teste Philippo MELanchthoni in Epistolâ Ta-  
bulis Poloniæ præfixa, ubi notationis hujus occasione bene expli-  
cat, quid sentiat de origine Gentis Polonicæ, verba ejus sic habent:  
Si origo gentium ex linguis judicanda est, ab una stirpe credendum  
est propagatas esse omnes gentes quæ in Polonia & vicina Russia  
in Illyrico & litora Balthico & magna parte Germaniæ sonant  
eandem Linguam Henetam. Fuisse autem veteres Henetos virtu-  
te præstantes in orâ Trojæ vicina ex Carmine Argonautico, ex  
Homero & ex Herodoto manifestum est, ubi non fuerunt alieni  
à vicinæ Gentis Ionicae artibus disciplina & moribus. Notum est  
autem cultissimas fuisse urbes Ionicas & floruisse artificum ingenijs  
& operibus. Et carmen Homericum ostendit in Ionia Musicam  
Linguæ elegantiam & multiplicem doctrinam fuisse. Nec fieri po-  
tuit, quin ad vicinos rivuli manarint. Vatem quoqꝝ Phinea nar-  
rant Scriptores Argonautici in regione Henetorum vixisse: qui  
cum eo ex Tyrio venerit, doctrinam de anni ratione & motibus  
cælestibus notissimam Tyrijs attulit. Non igitur sentio Henetos  
immanium Scytharum sobolem esse sed progressos ex illâ Troiæ  
vicinia, latè occupasse terras versus Arctum & versus occasum. Ap-  
pellatio autem Henedi, ut sonat, Hebræis est, vagabundi. Late e-  
nim processerunt hæ gentes vel bellis longius trahi vel ad meridiem  
quærentes fertiliora & mitiora loca. Ex preſſe autem inquit Ptole-  
mæus: Henetos maximam esse Sarmatarum partem Eſi autem di-  
versæ gentes & diversarum linguarum fuerunt Getæ & Heneti ta-  
men paſſim vicinæ fuerunt, procedentes inde usqꝝ à Cimmerio  
Bosphor-

Bosphoro. Tenuerunt adhuc Getæ ripam Istrulæ circa Cracoviam Ptolemaei Geographi tempore. Sed Postea successerunt in eas sedes Vicini Heneti cum Getæ Romanis bellis tracti Propius ad Istrum cum ingenti multitudine accessissent. Deinde Heneti latè vicinas terras occuparunt usq; ad litus Balticum & alibi ad Albim & salam. Hæc de Henetis eò commemoro ne misceantur Scythis seu Tartaris à quibus & lingua discernuntur. Haec tenus Melanchthon.

Porrò dicitur Polonia propriō magis nomine Regnum LECHITARVM: Ipsq; poloni etiamnum hodie à Tartaris Ruthenis Græcis populisq; orientalibus Lechitæ appellantur. Idemq; nomen ab Hungaris Polonus LENGEL vocantibus usurpatum. Dictum est ita Regnum Poloniæ à primo Principe Lechô qui nepos fuit IA-VAN à quo Ionij & Græci originem trahunt, hodieq; adhuc Græcus ab Hebræo nominatur Iavam. At LECHVS qui regiam arcem Psari, cuius adhuc dicuntur superesse rudera, incoluit, cur sedes hæreditarias Croaciā stimul & Slavoniam deseruit? MATTHIAS MECHOVIVS qui Anno 1521. ante ipsos centum annos Chronicon Poloniæ edidit, respondet: quod cum regia prosapia cresceret indeq; seditionibus jam subortis cædes gliscerent, Lechus colonias suas transferre cogitaverit & cum fratre Zecho de sedibus innovandis convenerit moxq; una cum ipso totaq; familia nativos focos reliquerit, seq; regionibus alijs tam orientalibus quam meridionalibus occupatis, in hanc plagam septentrionalem contulerit.

Profecti fratres pervenerunt in Moraviā & Bohemiā, ubi cum tentoria in monte amoenissimo fixissent, Zechus frater Iunior aura eius loci salubri glebaq; fertili mirifice delectatus, petijt à LECHO natu majore, velit sibi suæq; posteritati Bohemiā cum Moravia adsignare. Lechus qui concordiæ studio exul erat factus, cessit cum suis versus Orientem & Septentrionem in terras usq; Silesiæ & majoris Poloniæ. In quibus tandem subsistens permulcens Aquilarum nidos invenit, illisq; visis læto animo ominatus est non tantum sibi stabiles & fortunatas sedes, sed & posteris Regnum fore, inq; perpetuam eius rei memoriam, Aquilam avium Reginam Lechitarum arma & insignia referre voluit. Quin etiam eodem in loco artem urbemq; à nido Gnesnensem dictam extruxit finesq; dominij sui longe lateq; propagavit. Nec enim tantum hanc Poloniæ terram administravit, sed Lygijs Silesijs Lutis sive Marchicis, Pomera-

nis ipsisq; Megapolensibus imperavit. Hinc tribus illis in Megapoli Civitatibus Lubecæ Vismariæ Rostochio à Polonis nomina indi-  
ca sunt. Lübeck dicta est vel à LECHO vel à LEB quod significat  
caput animalis, quali Principis (Lubecensibus proximi) Megapolitanæ insignia præcipue notantur & exornantur. Tum fluvius quoq; Lubecam ambiens TRAVVS à pascuō (polonice trawa) dictus est.  
Vismaria dicta est à Vissimiro LECHI nepote: Rostock ab aquarum dissipatione.

Atq; hinc etiam Traveni nominati sunt à fœni graminisq; abun-  
dantia. Dreviani à Lignorum copia. Pomerani à vicinitate maris.  
Cassubiani à tricis plicisq; vestium. Silesij sive Slesij à comitatu Lechi.

POLONI à planicie campi. Quia verò Arx & sedes LECHI conspicua erat in Planicie nomenq; polonorum inclaresebat, siccirco provinciæ omnes communiter Poloniæ nomen usurparunt.

Postea VANDALI quoq; vocati sunt vel à flumine cujus mox erit mentio, vel à VANDA illustrissima Polonorum ducissa, CRA-  
CI, à quo Cracovia nomen habet, filiâ. Quæ cum aperto Marte vir-  
ginitatis suæ statum tutata victoriam obtinuissebat, se-ipsam spontaneo  
motu Vistulæ immergit hostiamq; Dñs immolavit. Nominis hujsus reliquiæ adhuc superstites sunt in Silesia, Pomerania, Megalopurgio.

Deniq; Poloni non raro dicuntur Sarmatae vel Sauromatae à σάρως & ουμα à serpentinis oculis quibus alijs nationibus formidinem & horrorem incusserunt vel, ut Iohannes Maczinski derivat, Sarmata dicitur quasi Zar Romak, Dux equitum.

Nomina itaq; longè nobilissima Regnum obtinet poloniæ: Nec mirum est unam regionem pluribus appellari nominibus, cum idem accidat alijs: & Borussia ejusdem provincia vel septem diversis ap-  
pellationibus inveniatur insignita. Sed jam ad rem ipsam.

REGNVM POLONIAE, situm in ea Europæ parte quæ Sar-  
matia Europæa dicitur ad differentiam Sarmatiæ Asiaticæ quam Scythæ incolunt, Longitudinem habet à gradu 43 protensam in 60: Latitudinem à gradu 49 expansam in 55. vel etiam in 57 quatenus à mari Balthico non alluitur. Ex quo fundamento longitudinem e-  
sus 250. miliarium: latitudinem ipsorum esse 200. supputant. Quæ circum ferentia Tartariam ab Oriente: Pannoniam à meridie: Ger-  
maniam ab Occidente: Moscoviam à Septentrione nostro seculo ambit.

ambit. Quod si, pro ut latitudinem ita etiam adhuc priscam obtineret longitudinem, quæ à gradu 32 incipiens deducta fuit in 60 gradum: posset omnino Majestate sua cum multis & magnis Regnis certare. At licet aliquid de magnitudine illa decreverit: tamen aliunde quoq; non parum accrevit. Rex Iagello adjectis Russiam & Podoliā: Sigismundus I. Prussiam: Sigism. Augustus Lithvaniam, Stephan⁹ Rex Livoniam: Tum verò talia possidet aquarum & terrarum clēnodia, quorum beneficio alijs Regnis non tam conferri quam p̄ferri potest.

Fluvij abundat quam-plurimis, inter quos longè nobilissimi sunt septem: Vistula, Boristhenes, Hipanis, Tyras, Varta, Viadrus, Chronon.

VISTULA, sive Vandalus prisco nomine, è rupe Saxe vastissimi montis in ducatu Teschnensi profluit, seq; per Regni mediterraneum dispergens, tribus ostijs in Mare Balthicum, quod olim etiam Vandalicum dixerunt, exoneratur. Primum & quasi principale ostium est Dantiscanum, alterum Elbingense: ultimum deniq; ad Villam quam Germani à Profunditate das Tieff appellant. Laudetur & in cœlum extollatur Ganges Indiæ fluvius, sit χρυσοπόδες, scateat aureis armis: Vistula p̄e auro eriam p̄estantiori gaudet dono: nimirum ejus beneficio, plurimorum regnorum, victu sufficien̄ deficien̄, necessitati succurrit. Quantum igitur victus vestitu: quantum auro frumentum, quo vita nostra carere non potest, p̄ficit; tantum Vistula reliquis antecellit fluvij omnibus universis. Hunc fluvium tanquam Regem suum, alijs instar ducum sequuntur.

BORISTHENES, à quo Ptolomæo septimum Clima Diabolosthenes nuncupatur, è sylvis Moscoviae decurrit per terras Russiæ in lacum usq; Dafloensem.

HIPANIS oritur è scaturigine prope Olescum promanatq; simul cum Boristhene per partes Russiæ in lacum usq; Dafloensem, qui in mari Pontico exoneratur.

TYRAS, è monte Sarmatico in terra p̄emisliensi profluens influensq; in mare Ponticum, sequestrat Daciam sive Valachiam à finibus Ruthenis.

VARTA fluvius famosissimus prope Cromoloam proveniens in Viadrum progreditur.

VIADRVS, priscis Guttalus, à Gothis ut nonnulli autumant denominat

nominatus prope Odrum Castellum erexit ostijsq; quatuor exit  
in lacum quendam mari propinquum sed mox ex eodem evadens  
in ipsum se ingerit mare Balthicum sive Germanicum.

CHRONON deniq; prope Copoloam scaturiens anfractibusq;  
sinuosis nunc fluens nunc resiliens in duos dividitur alveos, qui  
bus recta pergit in litus Balthici maris.

Atq; hi fluvij brevissime recensiti incolis suis non tantum ex  
quisitissimorum piscium genera veluti; Lucios, cyprinos, percas,  
cancros fundulos, murænulas & quos ob insignem præstantiam au-  
ratos vocant copiosè suppeditant sed etiam instar Nili patentissi-  
mos Poloniæ campos largissime irrigant, fœcundant, felicitant.  
Etenim postquam DEVS totius mundi creator atq; opifex jussit pas-  
tantem aquam per omnes terræ regiones in unum locum secedere, &  
terra arida apparuit: jussit quoq; terræ, ne esset sterilis, herbas &  
fruges varias producere. Sic igitur sit è primæva rerum indita vi  
atq; efficacia, ut regio in qua passim fluvij rivuliq; fluunt eamq; am-  
bitiosè rigant, præ alijs fortunatior sit felicior atq; fœcundior. At  
enim Regnum Poloniæ non tantum plantis tam minoribus quam  
majoribus egregiè viget sed & metallis, quæ in ipso terræ gremio  
nascuntur, pollet.

Ferrum in locis invenitur permultis: plumbum effoditur opti-  
mum: Cuprum non tantum in præmisliensi territorio possidetur  
sed etiam in Sarmaticorum montium jugis eximiâ cum magnitudi-  
ne elaboratur neq; sine frequentioribus argenti venis & particulis,  
quæ à cupro artificio faciliter separari possunt. Auri deniq; quod pro  
Metallo nobilissimo habetur indicia sunt cum in montibus tum in  
fluvijs quorum multi aureas arenas liquido ostendunt: Sed non tan-  
ti aestimantur illæ auri minutiae ut earum causa incolæ oleum & os-  
peram suam terant. Imò re ipsa ostendunt sibi prudentissimum il-  
lud iudicium Atheniensium probari: qui in Arthmium Zelitem ta-  
lem tulerunt sententiam: Arthmius Pythonactis filius Zelites igno-  
miniosus esto & hostis populi Atheniensium & socrorum ipse &  
Genus, quod aurum è Media in Peloponnesum vexit.

Et quis ignorat quid Midæ ob auri votum & corruptum stoli-  
dæ mentis iudicium acciderit? Vbiq; increbuit illud: Auriculas  
asini Mida Rex habet. Enim vero rectius multo Principes Polo-  
ni facere existimandi sunt qui auro, quod jam prisci illius philosophi

estate ob multos insidiosos palescebat, parcentes, sali operas suas  
impendunt. Siquidem Sole & Sale nihil utilius ut vetus habet ve-  
riderbium. Tum etiam non minutiae quædam sed grandiora salis  
(tam gemmæ & panis ut vocant physici quam mineralis) fragmen-  
ta in solō polonico exciduntur atq; eruuntur. Quid de Electro di-  
cam? Arabes olim thure: Palæstina Ballamo: Indi ebore excellue-  
runt, quorum omnium vice fungi videtur Electrum.

Nil addo de testis sive ollis non arte sed solius Naturæ opera  
in ipso terræ latifundio formatis quibus commodissime in majori  
Polonia passim utuntur: Nil addo de argilla: ad fruges revertor.

Quanta se Mihi hic dicendi copia atq; materia offert? Omnia  
rerum, (inquit Cicero) ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agri-  
cultura melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil homine libero dignius.  
Quantum verò hinc Poloniæ nostræ exurgit encomium? que  
etiam ab ipsa agricultura sive Campis nomen habet & quibusdam in  
locis adeo est uber atq; fertilis, ut è frumentis semel satis, messisq; tem-  
pore à messoribus, quadam granorum incuria, collectis: sequenti  
anno absq; ulla agri curatura granorumq; seminatione liberè largi-  
terq; novæ fruges proveniant. Quid? Tanta est Poloniæ ubertas ut  
ausim dicere: Nullum esse frumenti genus ad vitæ hujus sustentati-  
onem necessarium quod non Poloniæ Regnum cum alijs Regnis  
communicet. Annonæ caritas est? Ad Poloniæ granarium confu-  
giunt. Regnum aliquod vel Resp. panis penuria laborat; Regnum  
Poloniæ diliginem atq; triticum elargitur. Sitarchia hordeum vel  
avenam desiderat? Polonia defectum supplet. Milium, fagotriti-  
cum, Oryzam penus & economica non habet? Polonia porrigit. O  
Polonia penus totius Europæ! Tibi acceptum refert DANtiscum,  
illustre illud Emporium, nobilissimum illud granarium tuum, quod  
singulis diebus, teste Geographorum tabulâ, mille onera sive lastas  
frumenti vendat, quod per annum facit lastas trecentas sexaginta  
quinque mille. Tibi quoq; acceptum refert quod robore majoris &  
minoris quercus impleat vicinos ad ducenta miliaria. Nec enim  
Polonia frugibus tantum est refertissima, sed & Lignis optimorum  
generum est instructissima, in primis eminet lignis pineis & piceis que  
succisa aliquot annis in silices ignitos commutantur, è quibus pin-  
guedo soli coniici potest. Quod si nihil aliud Poloniam commen-  
daret quam fruges atq; arbores, haberet tamen de quo sibi præ alijs

gaudere atq; gratulari possit, nimisrum Poloniā non difficile alijs  
Europæis Regnis carere posse, quæ Poloniā mirum quantum indi-  
gent. Verum animalia quoq; laudes ejus singulariter extollunt.  
Inveniuntur in Polonia non tantum Equi, canes, tauri, oves, boves,  
quibus partim utitur, partim utitur & fruitur: Sed & ur, lupi, bisontes,  
onagri, apri, quibus tanquam cote, qua acuatur militaris virtus  
utitur. Quid dicam de columbis gallinis, caponibus, Gallis Gal-  
linaceis, Gallo-pavis Indicis summatim de avibus vitæ humanæ ut-  
tilissimis? Abundat illis Polonia. A pes tantum quasi delibabo:  
Quæ merito generi humano sunt admirationi atq; imitationi, præ-  
bentes Speciem Reipubl, bene constitutæ. Rex aculeo caret. Sub-  
diti in officio sibi destinato sunt diligentissimi. Alij flores decer-  
punt saccosq; colligunt. Non nulli favos construunt, ceram stipant,  
mellificium conficiunt. Quidam instar censorum operas observant,  
cessantes inertia arguunt castigant, extitant. Alij alias expedient  
functiones non suo tantum sed hominum quoq; bono atq; usui. Hoc  
vero apicularum grege adeo luxuriat Russia Poloniæ Ducatus ut in-  
colæ viatoribus favos suos per quam purissimos ultrò offerant &  
donent certaç; animalculorum examina ob ingentem eorum multi-  
tudinem dent internacioni.

Atenim vero licet his tantis donis atq; bonis divinitus sit orna-  
tum atq; cumulatum Regnum Poloniæ, ut merito omnes in sui ad-  
missionem rapere debeat: Contra tamen usu-venit ut ab obrecta-  
ribus male sed immerito audiat. Polonia, inquit illi, sita sub po-  
lo septentrionali, est nimis quam frigida, aspera, inhumana. Ergone  
molliores tantum suspiciendi sunt orbis terrarum anguli? Quid  
vicit Hannibalem armis invictum? Delicatior Campania. Optimè  
Rex DARIVS hoc secum pensitavit, qui cum Persæ non nulli &  
MEDI regionis suæ asperitatem cum mitiori tractu commutare vel-  
lent, permettere id noluit affirmans hominum naturam & Ingenium  
ut feminæ & plantas ad regionis indolem velut immutari. Sed &  
parum hoc difficultatis quantum præstat commoditatis. Nam ven-  
ti illi frigidiores aerē non tantum à contagiosis halitibus purgant ve-  
rum etiam Corpora incolarum solida alacria & ad omnes fortunæ  
truculentioris impressiones imperterrita efficiunt. Non secus atq;  
in partibus plantarum atq; arborum septentrioni expositis contin-  
git, quæ partibus meridiem spectantibus longe sunt vegetiores atq;  
robustiores.

robustiores. Quid vero Poloniane sub ipso Polo sit? Negat hoc Astronomus afferitq; polo tantum viciniorem esse. Ergo frigoribus quoq; Borealibus non omnino neq; semper infestatur. Quod si hiemis inclemens aliquando gravior est, habet quo se tegat & defendat pelles Iupinas, vulpinas, pelles marderum, pelles Sobe-linas, quas etiam non sine maximo lucro porrigit aliarum nationum provincijs ut ut sub benigniore cœli aspectu sitæ sint.

At porrò urgent: Tamen frigida est, glacialis est, indiga est optimi boni Polonia. Siquidem vino carent quod, ut Homerus ait, medullam homini suppeditat. Quid agemus? artificiosa procerum viridaria vitibus consita proferemus? quibus ad oculum demonstratur, nec Poloniā planē sterilem esse vini aliorumq; fruticum & fructuum, de quibus sibi calidores terræ graulantur & tantopere gloriantur. Non proferemus. Concedimus Polonia vini non est ferrax. Quid tum postea? Loco vini habet cerevisiam, vini in opiam prolixè supplementem hominiscq; valetudini apprimè conducibilem. Coquitur potus ille è Byne sive frumento madefacto, è lupulo & aqua: Vnde cerevisiam dictam volunt quasi Cereris vis in aqua. Byne autem Polonis Slod appellatur, digno literis nomine, ut-pote cuius beneficio sit, ut vini defectum susq; decq; ferant. Et cur non præsentia atq; nativa patriæ dona ament? Tanta enim est vis, tanta dulcedo frumenti Polonici ut exinde cocta cerevisia sit instar Balsamī. Exemplo sit laudatissima Dantiscanorum Cerevisia, cui vix ac ne vix quidem in mundo toto parem reperties. Atq; ut alios potus bonos faceam, hydromeli sive mulsum consideremus, quod cum multis vi-nis laude atq; excellentia sua certare potest. Illudne in Poloniā omnium generosissimum, suavissimum atq; gratissimum invenitur? quō dum fruitur Polonus, vinalibens meritoq; etiam in promptu habeantur, intacta relinquit.

Vltimum quod tanquam minus laudabile Regno Poloniæ ob-siunt non ultimum videtur telum, quō Regni Majestas lædi pos-fit. Nam cum aliæ gentes Europæ arces atq; propugnacula mun-tissima possideant, soli Poloni recte riteq; instructis, cum Turcorum atq; Tartarorum immanitati sint propinquissimi, carent. Quanto etiam polonis diligentiores videntur esse Chinenses qui contra eos-dem hostes crudelissimos murum extruxerunt, qui in ambitu habet centum miliaria. Ita est, non parum hoc negligentia præ se ferre

videretur, nisi à Græcis viris excusarentur quin & laudarentur. Etenim Agesilaus Rex Lacedæmonius percontanti, quam ob causam Sparta muris non cingeretur? responsum voluit ostendendo Cives armatos inquiens: Hi sunt Spartanæ Civitatis mœnia. Eodem sensu Lacedæmonios de Civitate sua muris cingenda consultantes, Iseus Philosphus Homeri verba recitans:

*Scutum habet scuto, galeæ galea atq; viro vir.*

Allocutus est: Sic mihi state Lacedæmonij & muris cincti sumus. Nec aliter Sigismundo Augusto de Cracoviensi munitione militiore reddendâ deliberantि responsum est: His pectoribus nostris pro patria pugnemus. Ite nunc & obincite Poloniæ frigus: pelles habet quibus & alias nationes induere potest. Vini significate penitiam: vobis cerevisiam & mulsum exhibebit utrumq; cum vino certans. Murorum mentionem facite: virorum fortitudinem vobis demonstrabit.

Quamvis & murorum & urbium & arcium tantum quoq; habet quantum satis est. Ut enim arces regias, Archiepiscopales, Episcopales veluti Mariæburgensem, Gnesnensem, Leopolensem, Vilnensem, Plociensem, aliasq; cum principibus urbibus, raceam: vel sola Cracoviensis urbs & arx cui terrarum loco vel angulo non est nota. Praeclera atq; eximia hæc sunt Regni Poloniæ dona atq; ornamenta sed quæ tum demum ad solidum pertinent decus si legitimus eorum accedit usus. Quare secuti Homericum ulysslem. (Vrbes qui multas animo moresq; tenebat.) veniamus nunc ad mores vitæq; status. Quid verò moribus Polonorum elegantius? An non virtutes quoq;, quas Ethica morum illa Regina præscribit, in polonis reperiuntur? Effigiem viri fortis animo vel oculis usurpare lubet. Fingamus nobis atq; consideremus Equitem polonum. Picturam volumus Temperantiae: proponamus nobis ante oculos exercitum Regni. Quot in eo sunt, qui domi relicta conjuge liberisq; peregrinantes in extremis patriæ terminis sitim inediāmq; amore Patriæ patientissime ferunt? Quid dicam de liberalitate? Natio polonica est liberalissima, vestigalium etiam parum vel nihil exigens ab exteris nationibus. Quid de Magnificentia? Optimates Poloniæ vigent laude atq; encomio Magnificentiae. Quid de modestiâ? Cives Poloniæ & modesti sunt & magnanimi sive in consilijs conferendis sive in armis expediendis. Omnes verò

8 & fin-

82 singuli mansueti, benigni, clementes dici gaudent strenueq; in id  
incubunt ut fraternō invicem se amore complectantur. Quod si  
interdum ira vel liticula, ut fieri solet, exoriatur, non tamen in amar-  
ulentiam se effundunt, sed mox res iterum componitur amiciq; red-  
duntur constantissimi. Porro affabilitatem inter ceteras virtutes mi-  
stificè amant, cum obvij veniunt, cum adeunt, cum abeunt, amici-  
ssimè se salutant, dextras copulant mutuoq; amplexu se dignan-  
tur. Dumq; hanc virtutem cupidius sectantur urbanitatis quoque  
non possunt non esse studiosi. Hinc convivia, congressus, collo-  
quia non agresti more instituunt sed condunt ea facetijs jocis atq;  
leporibus non insulsis.

Neq; vero Veritatis obliviscuntur sed eam quoq; cum affabili-  
tate atq; urbanitate conjungunt, è contrario mendacia quanto pro-  
sequantur odio, varia eaq; arguta in mendaces jacta dictoria testan-  
tur. Sed & garrulitatem perosi magno taciturnitatem aestimant pre-  
cio, ne dum affabilitatem atq; urbanitatem diligunt, aliquid veritati  
vel taciturnitati derogent. Deniq; justitiam quæ Virtutes in se com-  
plectitur omnes non tantum in comitijs VVarsoviensibus & Petri-  
coviensibus sed in singulis ubiq; civitatibus administrant. Ita Re-  
gnum coronatur quasi à virtutibus. Quamobrem non parvam  
debet gratiam literis. Accepit enim Polonia perinde ut Germanicæ  
regiones alijq; septentrionales populi ex Musarum atq; Gratiarum  
convictu atq; familiaritate magnam cum motuum tum Ingeniorum  
expolitionem. Hinc adeo suo jure Polonia & Germania, quæ olim  
Græcis Latinisq; pro crassis atq; Barbaris Terris sunt habita, audiunt  
cultissimæ atq; doctissimæ. Etenim viget hodie omnis liberalis do-  
ctrina in his regionibus. Facultates, Principes illi doctrinarum gra-  
duis accurate excoluntur. Theologi in his oris sunt excellentissimi,  
Iuris-consulti amplissimi, Medici felicissimi. Nec est ut philosophos  
nominem. Vivunt illi in his Borealibus oris subtilissimi, ipsisq; sub-  
tilitatum Magistris similimi. Poetas appellemus? Oratores? Philolo-  
gos? Quid illis frequentius? quid elegantius? Agite tamen unum  
nominatim appellemus Iohannem à Lasco, qui ad CARolum Su-  
dermanniæ Duceñ carmen, imitatu longe difficilimum, retrogradum  
elaboravit, cujus initium tale est:

*Afspice nam raro mittit timor arma nec ipsa  
Si se mente reget non tegeret Nemesis.*

Intellexit hoc doctrinæ decus in Polonis sineq; invidiæ vestro de-  
prædicavit Antonius Muretus. Cujus elogium quo nostris septen-  
trionales exornavit dignum est quod notetur atq; memoretur. Ita  
namq; in Epistola, qua Paulo Sacro Ferrarensi narrat quam ho-  
norifico Minervali à Stephano Rege Poloniæ simul & à Generosissi-  
mo Iohanne Samoscio Cracoviam ad academiam invitatus esset &  
se eò proficisci voluisse docuisset, expresse scribit:

Quod autemquidam, qui deterrere me cuperent, clamabant Gen-  
tes illas feras ac barbaras esse. Interdum mihi risum interdum sto-  
machum movebant, Magna mihi Sacrate cum multis Germanis, ma-  
gna cum permultis polonis familiaritas, magnus usus magna neces-  
situdo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros, rectos, simplices,  
apertos, humanissimos. Præterea & prope omnes eo virtutæ cultu ac  
munditia quæ ad elegantiam potius quam ad ullam barbariam acce-  
deret. Nugæ ista sunt hominum, eos qui adulari & fallere & aliud  
loqui aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos  
eo modo barbari essemus. Viri vero barbariores sunt: nati in  
media Italia quorum vix centelimum quemq; reperies qui Latine aut  
Græce loqui sciat aut literas amet: an Germani ac Poloni quorum  
permulti & earum Linguarum utramq; perfectissimè callent & ita  
literas ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne absument?  
Olim illi fortassis asperi ac Barbari fuerunt, hoc quidem seculo ve-  
reorne ad nos barbaries, ad illos cultus & splendor virtutæ & erudi-  
tio atq; humanitas multis sedibus commigrarint. Quis igitur de  
nostra dubitat Polonia? Gallus apud Italos illi laudem huma-  
nitatis & morum & Ingeniorum ambabus (quod dicitur) mani-  
bus largitus est.

Fons autem iste humanitatis non exiguo se continet spaciolo sed  
per Ipsum Regni meditullium se sargit. Illo forma Reipubl. à ma-  
joribus accepta rigatur, temperatur, recreatur. Hinc Regni Polonici  
Politia ab omnibus certatim commendatur. CAPVT Regni Rex  
est, qui liberrimo Senatus Populi Que Poloni voto electus eos sibi,  
quos per leges, ætatem, prudentiam, nobilitatem dignos è dignita-  
te judicat, Senatores adsciscit: ad quos Legati equestris ordinis ac-  
cedunt. Breviter ita quoddam quasi skeleton est regiminis Poloni-  
ci, quod si explanare suis coloribus illustrare atq; animare vellem,  
dies & vox me desiceret. Ob hanc enim Reipubl. directionem cele-  
berrima

berrima qvæcū mundi Regna claruerunt atq; viguerunt. Lacedemo-  
nij beneficio hujus administrationis eandem Reip. faciem septingen-  
tos annos retinuerunt. At qvid dicam de Romanis? dicam cum Lau-  
tentio Grimalio nobilissimo Polonorum politice: Aurea vocari  
possunt illa secula, qvibus Reges dominabantur. Romulus, uti Livius  
scribit, Deorum populiq; voluntate Rex electus, rudimenta illa Regni  
tenuia primum & exigua solus administrare recusavit sed imperandi  
focios sibi Senatores centum adscivit qvos vel ab ætate vel virtute,  
qua cæteris præstabant, patres vocavit. Et ne populus honoribus Pa-  
triæ fraudatus videretur, neve odia tam in Regem quam Senatores ge-  
reret, magistratus illi minores tenendos concessit, judicia attribuit, de  
bello & pace decernendi potestatem dedit & alia multa. Atq; utinam  
durassetis Romanæ Reipub. status, næ illi non opus habuisset tantum  
sangvinis pro libertate acquirenda imperioq; propagando effundere,  
illa etiam Reipubl. felicitas non seditionibus tantis fuisse distracta,  
propter quas nullo fere tempore respirare potuit. Quanquam poste-  
rioribus hisce seculis Monarchia Romana fere ad pristinam redacta  
fuerit conditionem.

Quandoquidem hodie Imperium Romanum non tantum Impera-  
tore tanquam supremo Magistratus gradu: sed & Electoratu tanquam  
secundo gradu: alijs ducibus principibus atq; Civitatibus se Regni  
status appellantibus veluti tertio magistratus gradu constituitur. Ta-  
ceo Regnum Hispanorum, Regnum Gallorum, Regnum Anglorum,  
quæ itidem Rege Optimatibus populoquè gubernantur. Prætereo  
Rempublicam Venetorum quæ Duce Senatu Populoq; ultra mille  
annos felicissime floruit. Ad nostros Polonus redeamus, quibus  
summa est triplicis hujus ordinis consociatio. Rex (verba sunt ejus-  
dem Grimalij) sine Senatus consilio nihil decernit, Senatus nihil abs-  
què Rege & nobilibus. Itaq; apud eos leges plurimum valent, pro  
hisq; custodiendis servandis retinendis se religione jurisjurandi ob-  
stringunt, adeo ut nefas & impium existimant aliquid contra leges mo-  
liri. Sacramentum quo se invicem pro legibus servandis libertateq;  
tuenda obligant. Captur sua lingva vocant, latine capitis tegmen di-  
xeris. Quemadmodum enim hic caput à frigore & tempestate conte-  
git: Italibertas, leges, salus hoc illorum Sacramento tecta & salva esse  
putatur: pro his enim asserendis nemo bonus contra tyrannos & pu-  
blicæ

blicæ libertatis felicitatisq; violatores vitam dubitat ut quām effundere. Itaque populus hic liber est eamque veram libertatem esse putat secundum leges vivere, nihil contra easdem & facere & cogitare. Rex ad leges omnia præscriptas administrat neque voluntate sua fed Senatus-consilio leges sancit, bella suscipit, componit, terminat nec extra cancellos legum & Senatus-consilium egreditur. Quæ res efficit ut apud eos Regis Persona non modo sit in authoritate summa & existimatione sed etiam in cultu & observantia. Nec id quidem immitterit. Quis enim non colendum, honorandum observandum, amandum vehementer eum Regem velit, cui in administranda Republ. ea demum voluntas est, quam Lex quasi summa ratio præscribit: hoc consilium quod Senatus gravitas & sapientia comprobat, hæc authoritas quam consensus ordinum amor & benevolentia civium efficit: Atque ut breviter dicam talem apud Polonos Regem esse qualem Plato, Aristoteles, Xenophon & omnis philosophorum Legislatorumve grex in optima quaque Republ. effingit, qualemve Natura & DEVS ipse videtur exposcere. Senatus apud eos optimatum Remp. repræsentat, qui uti jam dixi, authoritate est summa prædictus & ex prudenteribus gravioribusque nobilitate viris: Isti cum Rege de statu Reipubl. bene administrando consilia ineunt, talesque sunt quales apud Persas Homotimi, apud Lacedæmonios Ephori. Popularem statum repræsentat Equestris sive nobilium ordo, penes quem consiliorum Reipubl. pars est quoque reposita. Estque hic Regum & Senatus seminarium. Graphica hæc est & diserta tripliis Magistratum gradus primi Medij ultimique descriptio, qua contenti jam ad alteram Imperij partem quæ est pectus Republicæ nos accingeimus. Etenim duæ sunt primariæ res quibus Regnorum salus continetur: Prudentia domi, foris virtus & fortitudo. Illâ ita excellit Regnum Poloniæ ut Europæis alijs parum vel nihil cedat. Etsane si cederet, nihil tamen inde laudibus ejus decreceret. Siquidem augustissimum hoc Regnum immanissimis quibusque hostibus se nativis solum corporibus opponere non dubitat. Ante verò quam bellum ullum suscipitur mature comitia coguntur: Rex Senatus populisque deliberat de causis, medijs, tempore, loco belligandi ut non vi tantum & armis sed consilio etiam & arte militari pugnant. Comitijs celebratis miles conscribitur tam duplocarius quam gregarius: armis, securi, framea, sclopeto instruitur: veste nova induitur: Sacramento obligatur: exercetur, coercetur.

In primis Equites strenuissimi colliguntur, quos copiose admodum, cum meliorum Equorum ultra centum millia alat, Regnum Poloniæ in aciem producere potest. Verum mentionem ego Equitū facio, dexteritatem eorum atque celeritatem quis indicabit? Non abs re poloni Sarmatae quasi Duces celerum dicuntur. Equum nunc huc nunc illuc scitissime trahere, retrahere: flexere, inflexere: torquere retrorquere gratissimo cum videntium spectaculo norunt. Hosti asilire, desilire, arma tractare, gladium rotare, tela vibrare, vulnera infligere, repellere adeo callent ut Eques Polonus nobilis, rude emeritus, vere de se possit dicere, quod olim de Achille Statius cecinit:

Iamq; ad ensiferos vicina pube tumultus  
Aptabar, nec Me ulla feri Mavortis imago  
Præterit, didici quo Pœones arma rotatu  
Quo Magetæ sua gesa citent: quo turbine cæstum  
Sauromates falcemq; Getes arcumq; Gesenus  
Tenderet & flexe Balcaricus auctor habene  
Quo suspensa trahens libraret vulnera traectu  
Inclusum quoties distingeret æra gyrò.

Cæterum tam Equestribus ornamentis quam vulcanijs munimentis haec tenus certatum se texerunt atque exornarunt. At jam, ne, quod DEVIS exercituum longissime ab hoc Regno abesse velit, si adversa pugnando fortuna, & viris & viribus Resp. destituatur, sapientissimè cautum est: Qui miliius dant operam ne se auro & argento ornent vel potius onerent. Quare & jam speramus rem bene gerent, delicijsq; neglectis bellum acriter accepit urgebunt laudemq; partam viriliter sustinebunt.

Age, age ô splendidissima Septentrionis corona! perpende crudelissimos hostes tuos qui sanguinem tuum totiusq; orbis Christiani sitiunt. Excitet te generosa atque heroica indole tua quæ semper fuit fortia & agere & patri. Incitent Te Duces tui nunquam fatis laudati Lechi, Iagelones, Sigismundi, quomodo dimicarunt illi pro aris & focis tuis?

Cogita quæso quantis laudum brabæis atque hostimentis te afficiat Germania, quæ licet & ipsa à virili virtute sua viri nomen & omen habeat, nihilominus libens Te murum appellat contra irruptiones superbissimi Turcorum Tyranni. Quin quod major pars orbis Europæi non immerito Te tuam incolumentem appellat.

Tibi secundum DEI benignitatem acceptum referre decet, quod Turcorum atq; Tartarorum mucrones à Christianorum jugulis sunt amoti, quod à tectis & templis cædes incendia & sacrilegia sunt depulsa. Age pristinam recollige tuam animositudinem quæ nulla nive, frigore, fame, siti se debilitari patitur, propulsa à penatibus tuis infensissimum illum Christiani nominis hostem. Cui pedem jam in Europâ quin in ipsa Polonia habenti nulla mens alia, nullus aliis armorum sensus quam Christi nomen funditus extirpare. Ergone impium hoc scelus latius grassari atq; latrocinaris fines: Non fines. DEO confides, ille aderit tandemq; Turcicæ ditionis potentiam è mero scelere flagitioq; conflatam dissipabit. Tu ut incepisti sic perge pacemq; & quietem non tibi tantum sed Europæ toti restitues. Quantâ hoc conjunctum erit cum laude & gloria quantis cum præmijs & brabeis. Sed quorsum me rapuit affectus & satis etiam dictum esto de Bellica Polonorum virtute licet, ut ingenue dicam, exiliter satis. Neq; enim exercitum suis numeris absolutum demonstravi, neq; ullum laudabile factum recensui, quorum annales Polonici sunt plenissimi. Atq; utinam antiquis seculis ab his gentibus h̄dem fuissent annotati, esset omnino quod Poloni & Germani Græcis & Latinis obijcere & illorum virtuti satis decantatae præferre possent.

Verum relicta nunc virtute Publica & politica, vitam considerabimus reliquorum, qui partim circa pecuniam tamquam Reipubl. nervum, partim circa amictum, partim circa victum sunt occupati. Hic vero quandam regiminis umbram denuo videre licet. Nam Imperium quo pater usitatur in liberos regiam gubernationem repræsentat. Etenim parenti soboles curæ & cordi est, ideoq; ne quid illi desit, vel obsit, invigilat, providet, curat. Viri in uxorem potestas, optimatum Imperio non est dissimilis: juste siquidem vir imperat uxori & quæ honesta sunt jubet efficere. Democratiæ fraternali in unis ædibus societas respondet, sunt enim pares solisque ætatum gradibus inter se differunt. At politica nomen unde habet? Nonne in Civitatibus quoq; ipsum Politia regimen invenitur? Maximè. Sunt in Civitatibus quoque homines aurei ad imperandum naturâ apti: Sunt argentei auxilio ferendo nati, sunt ænei rebus mechanicis expediendis facti. Et iniquum esset si illi honore atque præmio virtutis suæ privarentur. Cum non minus Reipubl. inser-

viant

viant quam supremus quisq; Magistratus? sicuti mattis licet capi-  
te sunt inferiores, corpori tamen apprimè sunt necessariæ & nequa-  
quam negligendæ. Manus autem Reipl. Cívitates sunt. Præcla-  
ra igitur majorum sunt instituta, quibus Cívitatí bene de Republ. me-  
ritæ inclutos honores, redditus atq; privilegia concesserunt. Con-  
tra tolle Cívitates: nervos atq; incrementa Regni tolles. Florem,  
splendorem atq; elegantiam Regionis tolles. Quo poterit quid esse  
perniciosius? Nec enim Consilijs vel armis tantum sed & rerum  
ad usus vitæ necessariarum opulentia Regno opus est. Vnde verò  
rerum opulentia? Vnde vis auri & argenti? nisi ex mercaturâ.

Mercatura nimirum longe preciosissima est Regni gemma quā  
an Regnum Poloniæ niteat, quis dubitabit? Fertile est, imò ferti-  
lissimum est. Ut alia Naturæ dona superius indicata taceam, frumen-  
ti. Frumento quis non indiget? tum quoq; emporijs est instructissi-  
mum: Quæ recensere omnia nimis foret longum, duo tantum no-  
bis proponamus quæ regio nomine gaudent: Rigense & Dantiscanum.  
Rigense Emporium, oculus Livoniæ, promontoriumq; mu-  
nitissimum tam mercatorum frequentia quam mercium copia est flo-  
rentissimum, adeò ut vel cum Corintho Achaiæ Metropoli compa-  
rari queat.

Dantiscanum verò Emporium, illustris Prussiæ ὥμφαλος καὶ ὄφθαλ-  
μος, vere majoris & minoris Poloniæ Condus, promusq; aliorum  
Regnum dicil potest. Ad hoc tanquam ad Filiam carissimam  
utracq; Polonia Matris instar annuos suos proventus mittit, quos illa  
Regni filia animo gratissimo accipiens, Matris suæ dilectissimæ  
vota atq; desideria vicissim obnixè explet. Nil tam carum ipsi est,  
quod non pro donis acceptis reddat. Aurum, argentum, aromata,  
vinam pannosque preciosissimos, quorum copiam non Angli tan-  
tum Hispanique è nativis regionib; sed & Belgæ ex remotissimis In-  
diarum partibus adduxerunt, sponte promptèq; elargitur. Quem  
affectum Mater agnoscit filiamq; amore singulari complectitur, co-  
gitans quod, cum non omnis ferat omnia tellus sed, ut commercijs  
& negotiationibus amicitiae necessitudo conservetur, divina ordina-  
tione alia aliarum frugum sit feracior, ejus beneficio suas opes cum  
alijs communicet simulq; aliorum affluentia fruatur.

Quamvis enim Regnum Poloniæ vires suas non tam in pecunia  
cumulo quam in animi fortitudine sitas statuat; Tamen opum quoq;  
c. 2. & fa-

& facultatum curam, habet ut pote quæ instrumenta sunt bene felicitè agendi: sic igitur unum tantummodo alterumq; Regni emprius eminus conspeximus, quod si ad alia quoq; me conferre vellem, vereor ut fastidum vobis pariatur.

Quare à Mercatura ad artes Mechanicas pergemus. Quid, inquit aliquis transmarinus opifex, in Polonorum officinis efferes & potius eas silentio præteriesset. Nam Sarmatæ opera atq; officina cum artificio Itali, Belgæ, Angli vel alijs ne in aqua est comparanda. At mitius agat artifex ille subtilis cum Gente Polonica

*Est aliquid prodire tenus si non datur ultra.*

Licet hodie longè alia sit ratio quam olim fuit. Fons ille bonarum artium qui in septentrione erupit, opifices quoq; irrigavit artesq; eorum quæ à machinatione sive solerti excogitatione Mechanicæ dicuntur permultum excoluit. Hinc typi Cracovienses nitidissimi: Hinc in Poloniâ picturæ elegantissimæ: Aedes arcæq; publicæ solertissimæ: Aurifcum, Stanniorum, sculptorum operæ splendiferissimæ. Hinc parum necesse habet Regnum Poloniæ tegumenta sive vestimenta ab alijs sibi comparare. Lanam Linumq; loci geniū tanta suppeditat copia, ut annuatim vellus aureum proferre videatur. Cujus ars texendi & conficiendi ab opificibus varijs quotidie variè expolitur. Lanarij, fullones pilearij, politores non minus hodie in polonia quam alibi locorum lanam norunt carminare, penso trahere, tingere, concinnare, apparare. Nihil dico de oppidis, civitates Regni indigito, quas lanifices simul & linifices inhabitant experientissimi atq; artificiosissimi. Nec desunt Sartores qui vestes confidere norunt accommodatas adeo corporibus, ut cum quovis Meridionalium opifice non sine laude certare queant. Nec etiam Sutores desunr sive Europæos desideres cothurnos sive polonorum calceis lunaticis vel ocreis ijsq; vel flavis vel nigris delecteris. Mitto pelliones, mitto Ephippiarios qui etiam de esse non possunt, cum pellibus equisq; sit diuissima. Sed quid deest Poloniæ quod non habeat in urbibus, in filiabus suis?

Omittamus igitur manus quoq; Reipubl. & tandem pedes ejus consideremus. Nam quod pedes sunt Corpori humano, vere id Regno Poloniæ est agricultura. Quæ cum victus copiam materiamq; vestitus suppeditat basis dici potest qua nititur atq; innititur tota Respublica. Hoc indicaturi Prisci sapientes dicebant: Politiam constare

stare non ex Rege & Rege; Non ex Senatore & Senatore: non ex Ci-  
ve & cive: Sed ex Rege & Senatorē, ex Senatorē & Cive, ex cive &  
agricolā. Quare cum illorum mores attigimus, etiam paucula de hoc  
videntur annexenda. Optimē olim Romani illi rerum Domini cum  
virum egregiā laude dignum volebant demonstrare, tria tantum hæc  
faciebant verba: Bonus est agricola. Quis id de Polonis nostris ne-  
gabit? Homines illi inferioris notæ atq; Naturæ, qui alijs subditū  
se totos ad nutum nictumq; dominorum suorum accomodant, quan-  
topere diligunt terram matrem suam? Quam diligentes sunt in opere  
faciendo, terram arando, occando, serendo? Parum omnino cedere  
videntur illis populis, qui inter creperos belli crepitus strepitusq;, in-  
ter bombardarum explosiones, globorū ictus nihilominus officio ex-  
colendi terram strenue funguntur. Cæterum nec ipsi Nobiles sunt  
desides. Theseus apud Atticos olim cum illos ad majorem ruris amo-  
rem incitare vellet, moneta bovis figura signabat. Non est ut hoc  
fiat apud Nobiles Polonos. Hi venatio nibus quidem aliquam dant  
operam sed majorem longè gregi domestico paternoq; ruri. Siqui-  
dem dedecori sibi verterent, si prædia sibi à Majoribus non sine cu-  
ratura insigni per manus tradita, hæredibus incultiora relinquerent.  
Idcirco sedulo serioq; campos suos amplificant, ditan, exornant.  
Cumq; ager Poloniæ sit uberrimus segetes suas non simul & semel  
absumunt sed omnia rite disponentes, domui suæ de necessaria anni  
sustentatione prospiciunt & reliquum frumenti Dantiscum tanquam  
in commune Regni horreum sive granarium vehunt. Hinc tanta re-  
rum bonarum cerevisiæ, panis, carnis abundantia.

At enim, inquietat aliquis, tu quidem mores polonorum laude  
dignos deprædicas sed de vita perio dignis altum est silentium.  
Luxus ille & fastus nescio unde in poloniam adductus indies ne cre-  
scit? Et in Comitijs quid non desideratur? Comitijs multum tempo-  
ris teri, comitijs multum pecuniae absumi, idq; quadam cum luben-  
tia cum aliâs vix decima vel vicefimam pars maximis cum ingratjis ex-  
peditioni bellicæ attribuatur. Tum etiam belli expeditionem tarde  
& lentè nimis suscipi. Præterea rerum novarum atq; exotericarum  
Polonus plus satis esse studiosos; Frumenta quidem vendere sed  
eorum loco vina emere, quomodo parum juvatur Respubl. simul  
& res familiaris. Deinde graves itidem sunt querelæ contra or-  
dinem Civicum, qui in visceribus poloniæ falcem mittat in alienam

messem nempe agrariam & ex illa æque ac ruricolas vivere. Interim artes Mechanicas negligi: Lanam, linum, corium, ferrum Silesijs alijsq; Poloniæ vicinis vendi & longe majori precio redimi non sine maximo juventutis etiam detimento, cuius hoc pacto otium a- litur, vitia foventur. Deniq; homines agrarios vel inique & misere à Dominis tractari vel petulantes procaces atq; ebriosos esse.

Hic quorsum me veram nescio, multa negare nequeo, vitia excusare nolo. Hoc tantum dico, nos hic in regno terrestri vivere: Nullumq; triticum tam esse perpurgatum, cui non lolia in nascantur. Sed neque Mihi propositum fuit nævulos & defectus Regni recensere. Dixi in Principio idq; nunc pro conclusione repeto: Favores sunt ampliandi, odia constringenda.

**TU** ô DN. JE SU qui es Rex Regum & Dominus Do- minantium confirma hoc Poloniae Regnum, ut sicut ha- ctenus ita porto vigeat, vireat, floreat, murusque sit vicino- rum Regnorum adeoque & Germaniæ.

O DOMINE tyrannidem atque superbiam hæreditarij ho- stis tui reprime, ne nos sua impietate premat ne-ve oppri- mat. Ita Te celebrabimus hic temporariè & post æternū in Regno cælesti cujus pulchritudinem oculus non vidit, cujus dulcedinem auris non audivit, cujus gaudium in cor hominis non ascendit.

O DOMINE JESU C HRITE rege & guberna nos in Re- gno Gratiae ut Te Duce consequamur Regnum Gloriarum.

D I X I.


**JESVS GAVDIVM PARIT.**

Typus  
Regni Poloniæ

In Regno pol. consi- deranda	Res	Nomē	Generale; Henetorum.	Mathematices	Situs	Vistula
			Speciale 1 Lechitarum 2 Polonorum 3 Vandalorum 4 Sarmatarum		Quantitas	
Theoretica ubi bonum		Præsens ratione		Aqua ubi flumina		Boristhenes Hipanis Tyras Viadrus Chronon
					Physices	
Absens		Natu- rale	calidior aër	Terra	Inanimata	Metalla Mineralia
			Vinum		animata	
Præsens		Ethicum virtus	Artificiale. Aedificia.		Moralis	Plante Animalia
					Intellectualis	
Præsens		Polititum virtus	Togata sub Magistratu	Antecedentia	Primo Medio Infimo.	Pedites Equites,
			Sagata per		Causas socias	
Præctica ubi bonū		Oeconomicum	Superiorum. Magistrat.	Ignobil: Mechaniconū Infimorum. Agricolarum.	Nobiliorū Mercatorū	
			Mediorū		Ignobil: Mechaniconū	
Absens		Generale. Virtus Ethica				
			Speciale			
			Polica			
			Oeconomicata			



774b  
V



6198

7746

